

doctores est privatus ipso jure beneficiis. Ita Menochius de arbitr., casu 416, n. 52. At optime ex Rotæ decisionibus Theodosius Rubeus in singular. Rotæ, tom. II; part. III, sub. verb. *Menochius* § 1, pag. 20, sic distinguit: Aut excommunicatio, seu alia censura lata fuit propter crimen quod ipso jure privat clericum beneficio, et tunc per insordescientiam habetur pro confesso, et censetur ipso jure privatus. Aut excommunicatio, seu alia censura lata fuit ob crimen propter quod non est privatus beneficiis ipso jure, sed venit per sententiam privandus, et tunc poterit post contractam insordescientiam privari. Aut crimen est tale propter quod nullo modo potest imponi pœna privationis, puta ad debitum civile pensionis, et tunc nunquam ob insordescientiam imponetur pœna privationis, sed alia arbitraria. Hæc apud Barbosam loc. c., n. 38.

(14. Contra excommunicatos non curantes absolutionem, et, non obstante excommunicatione, celebrantes, procedit ordinarius; nam sic resolutum fuisse die 26 Maii 1609, et 1631, et 1632, refert Pignatell. tom. VII, d. consult. 18, num. 15, ubi subjungit quod quandoque S. Officium commisit informationes, ut in litteris patriarchæ Aquileiæ sub 15 Jun. 1591, (15. præcipitur vicario generali, ut excommunicatos renuentes restituere ablatum ab ecclesiis aggravet et reaggravet, et finito anno declaret insordescentes: sacr. congr. Immun. 12 Febr. 1647, lib. 4, decret. Paul., pag. 4.

(16. Insordescenti in excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest ecclesiastica sepultura denegari, et sepeliri in loco profano: Genuens. in præxi cap. 7, in addit.; Pignatell. cit. consult. 18, num. 13; La Croix loc. cit. num. 292, et alii passim. (17. Plura alia de insordescensibus in censuris vide apud Pignatell. tom. VII, consult. 18, et tom. VIII, consult. 134, Barbosam loc. c.; Monacell. loc. c. 80, et alios.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(18. De anno insordescentiæ libet aliqua adnotare. Hic annus numerandus est non a die incursæ excommunicationis, si ageretur de excommunicato a jure, sed a die quo fuit vel excommunicatus vel declaratus excommunicatus, cum ex illa die incipiat rumor contumaciæ et contemptus clavium Ecclesiæ: Sanctarell. de hæres., cap. 4, n. 6; Carena de Offic. S. Inquisit. part. II, tit. 8, n. 5.

(19. Non ignoro esse qui limitant id in casu notorii: annusque tunc tenent incipere a die notoriæ excommunicationis incursæ; Alber. in Rubric. de Hæret. in 6, quæst. 13, n. 35; Farinac. de Hæres. qu. 191, n. 26. At confutant hanc opinionem Passerin. in cap. *Cum contumacia*, n. 12, de Hæretic. in 6; Del Bene de Offic. S. Inquisitionis, dub. 211, sect. 1, n. 4. Et non immerito. Habetur enim in cap. *Cum*

contumacia... de Hæretic., n. 6. « Excommunicationis vinculo per vos fuerit innodatus. » (20. Hæc autem verba important excommunicationem ab homine per sententiam latam, aut saltem declarantem: « Neque in his (ita recte ait Passerin. ubi supra) potest habere locum notorium, neque enim sufficere potest notorium puri facti, quia necesse est quod in judicio constet, et de excommunicatione, et de persistentia in illa; et sic requiritur notorium juris quod habetur per iudicis pronuntiationem, per quam pronuntiet susceptum excommunicatum, et postea in excommunicatione pertinacem. Incipit ergo hic annus a die latæ vel declaratæ excommunicationis facta per iudicem. »

(21. Debet itidem hic annus esse integer et continuus, cap. *Cum contumacia*, de Hæretic. in 6. Quæri propterea solet an habeatur hic annus integer et continuus, ubi quis plurium annorum spatio persistit in excommunicatione, sed in unoquoque anno obtinuit absolutionem cum reincidentia? (22. Negant Carena de Offic. de Inquisitionibus, part. II, tit. 8, n. 3, ubi ex cardinal. Bellarmino, quod sacra congregatio Concilii interpres declaravit non posse procedi contra illum qui excommunicatus ab auditore cameræ, per triennium in excommunicatione persistit; ita tamen ut in unoquoque anno in festo Paschatis ab eodem auditore cameræ absolutionem cum reincidentia obtinerit: Del Bene eod. tract., dub. 211, sect. 1, n. 6, et 24, probeque monent quod in subjecta materia haud conjunguntur tempora.

(23. Major dubitatio est an habeatur hic annus integer et continuus, si intra ipsum excommunicatus in foro conscientie absolvatur. Haberi de juris rigore ex ratione illa quod absolutio in foro interno non suffragatur in foro externo; non haberi vero de æquitate, cessante tamen partis oppositione, censet Carena de offic. S. Inquisitionis; part. II, tit. 8, n. 26. (24. At indistincte non haberi alii tenent. « Sed cum verum sit (sic opportune inquit Passerin. in 6 cap. *Cum contumacia*, de Hæretic. in 6) quod absolutio in foro conscientie directe non juvat in foro externo, nec liberat a pœnis externi fori, indirecte tamen auferendo materiam super qua fundantur pœnæ, potest a pœna liberare; quia ablato sufficienter delicto etiam in futurum, et ut non duret, et ut non perficiatur, non remanet unde infligatur pœna, cessante etiam in foro externo delicto. Cum igitur, in proposito nostro non debeatur: nisi pertinaciæ duranti per annum, si tollitur pertinaciæ, tollitur pœna. Non potest vero dici pertinax in persistendo in excommunicatione ille qui absolutionem petiit in foro conscientie, et obtinuit, et de hoc in foro externo constat. Et eo magis, quia quod iste non obtineat absolutionem ab excommunicatione in foro externo, non potest tribui pertinaciæ et contemptui clavium, sed alicui alteri causæ, ex qua pro jure suo tuendo impeditur ne statim in foro

externo absolvi possit. In hoc enim negotio quamlibet causam, etiam injustam, excusare pertinaciæ dixit idem Carena, etc. Et eo magis quod qui velit esse pertinax contra iudicem in foro externo, et claves Ecclesiæ contemnere, non est dignus ut absolvatur in foro conscientie. »

(25. De eo etiam disputari solet an habeatur hic annus integer et continuus, si intra ipsum obtinuit excommunicatus rescriptum cum clausula: *Te absolventes*. At haberi tenent Passerin. in cap. *Cum contumacia*, n. 14, de Hæretic. in 6; Carena de Offic. S. Inquisitionis, p. I, tit. 8, n. 35; tum quia illa absolutio datur tantum ut rescriptum non sit nullum: tum quia dicta absolutio de s'yo datur etiam non concurrente pœnitentia,

INSTITUTIO SEU INSTITUERE IN BENEFICIIS.

SUMMARIUM.

1. Institutio, seu instituere dupliciter in jure accipitur, late scilicet, seu pro quocunque provisionis modo, et proprie, seu specialiter. — 2. Institutio late accipitur quid comprehendat et importet. — 3. Institutio specialiter accepta quid importet seu comprehendat. — 4. Institutio proprie et specialiter accepta valde differt a collatione et præsentatione. — 5. Præsentatio proprie quid sit, et quando fiat. — 6. Collatio proprie quid sit, et quando fiat. — 7. Institutio proprie quid sit, et quando fiat. — 8. Institutio est triplex, scilicet *Collativa*, *Auctorizabilis*, et *Corporalis*. — 9. Institutio collativa quæ sit. — 10. Institutio auctorizabilis quæ sit. — 11. Institutio corporalis quæ sit. — 12. Institutio collativa, de jure pertinet ad episcopum loci in quo situm est beneficium. — 13. Etiam vicarius generalis episcopi potest instituere in beneficiis presentatos a patronis. — 14. Etiam capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante. — 15. Prælati inferioribus non competit de jure communi potestas instituendi in beneficiis presentatos a patronis. — 16. Potest tamen ipsis competere ex aliquo jure speciali, v. g., ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitime completa. — 17. Ostenditur posse eis competere ex privilegio seu speciali concessione. — 18. Ostenditur posse eis competere ex fundatione, saltem ante concilium Tridentinum facta. — 19. Non sic autem ex fundatione facta post Tridentinum. — 20. Ostenditur posse eis competere ex consuetudine. — 21. Ostenditur posse eis competere ex præscriptione legitime completa. — 22. Prælati inferioribus, etiam regularibus, competit jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure, id est in spiritualibus et temporalibus subjectis. — 23. Laici, quicumque sint, nullo modo possunt proprie instituere clericum in aliquo beneficio. — 24. Institutio auctorizabilis, de jure communi, pertinet ad episcopum solum privative ad prælatos inferiores. — 25. Secus autem, si prælati inferiores habeant jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum privative ad

(1. Institutio, seu instituere in beneficiis, dupliciter in jure accipitur, scilicet late, seu pro quocunque provisionis modo; et proprie, seu specialiter: *Communis*. (2. Institutio late accepta comprehendit sub se quamlibet provisionem canonicam, seu modum legitime acquirendi beneficium ecclesiasticum, sive talis canonica provisio fiat per *electionem* rite celebratam et confirmatam, sive per *postulationem* a Papa admissam, sive per *nominationem* seu *præsentationem* factam a patrono cum institutione secuta, sive per

adeoque haud potest operari ut desit pertinaciæ; tum demum quia dicta absolutio non tollit excommunicationem, sed solum impedimentum proveniens ab illa excommunicatione suspendit, donec gratia suum sortiatur effectum.

Limitat autem hanc opinionem Del Bene de Offic. S. Inquisitionis, dub. 211, sect. 7, n. 2, in casu in quo Papa scivisset eum per annum in excommunicatione perstitisse. Sed neque huic limitationi locum esse posse propter mox allatas rationes firmat Passerin. loco proxime citat.

Insordescientia quomodo sit probanda, ut contra insordescens in excommunicatione possit procedi, expendunt post alios Pignatell. consultat. canon 18, n. 9, tom. VII; Rot. in recent. decis. 132, n. 7, part. I.

episcopum. — 26. Institutio auctorizabilis non potest competere, neque vi consuetudinis seu præscriptionis, prælati inferioribus non habentibus proprium territorium privative ad episcopum. — 27. Institutio corporalis de jure communi spectat ad archidiaconum. — 28. Secus autem ex consuetudine. — 29. Is ad quem spectat collatio beneficii non potest seipsum instituere. — 30. Imo is ad quem spectat collatio beneficii nec ab alio a se delegato potest institui. — 31. In beneficiis ecclesiasticis non possunt institui laici, sed soli clerici. — 32. Clerici possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant, dummodo intra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei. — 33. Tempus institutionis presentatorum faciendæ in beneficiis non reperitur a jure præfixum et determinatum, dummodo non diu differatur. — 34. Si autem habens potestatem instituendi presentatos sit negligens, aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, tunc recurrendum est ad superiorem, qui ei præfigat certum tempus ad instituendum; quo elapso, poterit ipse supplere, vel compellendo, vel instituendo. — 35. Ritus seu modi realiter et corporaliter instituendi seu investiendi in beneficiis, ex quo sunt varii pro diversitate locorum, observandi juxta antiquas laudabiles consuetudines cujuslibet loci. — 36. Institutus quoad titulum in beneficio, quamvis non possit ejus possessionem capere propria et sola sua auctoritate, accedente tamen consensu seu licentia legitimi superioris volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere, nullo alio eum introducente in ipsam. — 37. Institutus potest gratificari quando duo ab eodem patrono laico presentati sunt æque digni. — 38. Quando plures patroni diversos æquali numero suffragiorum presentant, si moniti nolint consentire in unum, et episcopus neutrum ex presentatis possit instituere absque atroci scandalo facti, tunc potest gratificari uni, et tertium aliquem eligere. — 39. Institutio potest fieri extra diocesim et territorium instituentis. — 40. Subnectuntur addit. ex aliena manu usque ad n. 45.

collationem liberam beneficii factam a legitimo superiore, absque prævia capitulari electione vel alterius præsentatione, sive per *resignationem*, sive per *permutationem*, sive per *translationem* auctoritate legitimi superioris factam: argum. cap. *In litteris* 5, de restit. spoliator.; cap. *Non amplius* 1, cap. *Auctoritate* 4, cap. *Ad decorem* 5, et cap. *Cum venisset* 6, de Institutionibus, et cap. *Beneficium* 1, de Regulis Juris in 6. Vide verb. *Beneficia*, art. 3. (3. Institutio proprie seu specialiter accepta comprehendit solum-

modo eam concessionem beneficii quæ per legitimum superiorem fit cuiquam ad præviam præsentationem patroni; et definitur quod sit « concessio ecclesiæ seu beneficii, auctoritate episcopi vel alterius ordinarii facta non simpliciter cuius clerico, sed ei qui est a patrono nominatus et præsentatus. » Sic in re communis, cum Barbosa par. iii, de Offic. et potest. Episcop., allegat. 72, n. 174, et glossa in cap. 1, de Institution. in 6.

(4. Institutio proprie et specialiter accepta valde differt a collatione et præsentatione, textu expresso in cap. *Cum in illis* 16. § *Cum autem*, de præbend. in 6, ibi: « Cum autem, inter collationem, præsentationem, et institutionem, differentia magna esse noscatur. »

(5. Præsentatio enim proprie est et fit quando a patrono cui competit jus patronatus nominatur seu præsentatur clericus idoneus ordinario ad beneficium vacans. *Communis* cum glossa in cit. c. *Cum in illis*, verb. *Non insuper*. (6. Collatio autem proprie est et fit quando beneficium est liberum, et in mera dispositione ordinarii, et libere confert cui vult, dummodo sit idoneus. *Communis* cum glossa loc. cit., et alia glossa in Rubrica de Institutionibus in 6, verb. *Nam Collatio*. (7. Institutio vero proprie est et fit quando beneficium non est liberum in dispositione ordinarii, sed est de jure patronatus alicujus, ad ejus patroni præsentationem ordinarius clericum idoneum præsentatum in tali beneficio instituit, seu ei tale beneficium concedit; *Communis* cum glossa loc. c.; Barbosa loc. c., num. 272; Abbas in cap. *Auctoritate* 4, de Institution. num. 7; Reiffenstuel lib. iii, decretal., tit. 7, n. 4.

(8. Institutio est triplex, scilicet *Collativa*, *Auctorizabilis*, et *Corporalis*: Abbas in c. *Auctoritate*, num. 7 et 8; Fagnan. in cap. *Cum Ecclesia* 3, de causa possession., num. 28 et seq.; Reiffenstuel loc. c. num. 5, et communis aliorum cum glossa in cap. *Cum Beneficium* 1, de Regulis Juris in 6, ubi circa medium sic expresse habet: « Dicendum quod triplex est institutio: quædam est institutio tituli collativa; alia est institutio auctorizabilis quoad commissionem curæ animarum; alia est institutio realis et actualis, quæ vocatur investitura seu inductio in possessionem realem et corporalem. » (9. Institutio *collativa* (quam aliqui verbalem appellant) ea est per quam ab ordinario verbis aut litteris confertur seu conceditur titulus beneficii Clerico idoneo ad ipsum a legitimo patrono nominato seu præsentato.

(10. Institutio *auctorizabilis* aliud non est quam approbatio ad exercendam curam animarum, sive commissio curæ animarum, ut expresse dicit glossa numero antecedenti adducta et summarium in c. *Cum satis* 4, de Officio archidiaconi, ibi: « Archidiaconus sine mandato episcopi non committit curam animarum, id est non habet institutionem auctorizabilem. » (11. Institutio *corporalis*, sive realis, aliud non est quam inductio in actualem possessionem beneficii, per quam

videlicet datur vera et realis possessio ipsius beneficii per legitimum superiorem alicui collati, et de hac institutione corporali fit expressa mentio in cap. *Ad hæc* 7, de offic. archidiaconi, ibi: « Institutio corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus ad ipsum (archidiaconum) debeat pertinere. » Hæc institutio corporalis alio nomine vocatur investitura, installatio, inmissio in actualem possessionem.

(12. Institutio collativa de jure communi pertinet ad episcopum loci in quo situm est beneficium; cap. *Omnes basilicæ* 10, causa 16, qu. 7, c. *Ex frequentibus* 3, de institution., cap. *Cum ex inuncto* 12, de Hæretic. in fine. Et sic tenet communis cum Fagnano in c. *Eam te*, n. 6, de ætate et qualitate, et c. *Auditis*, num. 2, de præscription.; Barbosa part. iii, de Offic. et Potest. Episcop., allegat. 72, num. 176; et Abbate in cap. *Cum Ecclesia Vulturna*, num. 8, de electione. (13. Etiam vicarius generalis episcopi, virtute mandati generalis, potest instituere in beneficiis præsentatos a patronis: cap. *Ex frequentibus* 3, de institutionibus glossa ib. verb. *Officiale*; Abbas ib., num. 7; Barbosa ib. num. 3 et alii communiter. (14. Etiam capitulum, seu vicarius capitularis, sede vacante, textu expresso in cap. *Etsi capitulum* 1, de institution. in 6 ibi: « Etsi capitulum, sede vacante, beneficia quæ ad collationem episcopi pertinent conferre non possit, præsentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis ad quæ fuerint præsentati, licet ad episcopum (si superesset) admissio et institutio hujusmodi pertineret. »

(15. Prælati inferioribus non competit de jure communi potestas instituendi in beneficiis præsentatos. *Communis*, arg. cap. *Omnes basilicæ* 10, caus. 16, quæst. 7; cap. *Ex frequentibus* 3, de Institutionibus; cap. *Cum ex inuncto* 12, de Hæretic. in fine; cap. *Etsi Capitulum* 1, de institutionibus in 6. (16. Potest tamen ipsis talis instituendi facultas competere ex aliquo jure speciali, verb. grat. ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitima completa: Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. iii, allegat. 72, n. 134, cum aliis ibi allegatis; Pirhing. lib. iii decretal.; tit. 7, num. 6; Reiffenstuel. ibidem, n. 5; Azorius part. ii, lib. vi, cap. 22, quæst. 1, et alii; et ostenditur conclusio per singulas partes. (17. Quod enim possit eis competere talis facultas ex privilegio seu speciali concessione, colligitur ex cap. *Super eo* 15, de Officio Delegati, ex cap. *Ex frequentibus* 3, de Institutionibus, juncta glossa verb. *Officialium*, et cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ibi: « Sine licentia et mandato episcopi. » (18. Quod possit eis competere talis facultas ex fundatione saltem ab antiquo facta, colligitur ex c. *Significatum* 11, de præbend.; c. *Præterea* 23, de Jurepatron., et cap. *Quando* 16, de censibus. Ex quibus desumitur posse fundatorem beneficii in limine fundationis adijcere quascunque voluerit qualitates, leges, seu conditiones sibi benevisas, cæte-

roquin possibiles ac honestas cum consensu ordinarii. Unde, si in limine fundationis, de consensu episcopi, fuerit apposita qualitas ista seu conditio ut institutio in tali beneficio pertineat ad inferiorem, poterit equidem talis inferior instituere præsentatum ad ipsum: Abbas in cap. *Cum dilectus*, n. 4, de consuetudin.; Barbosa lib. iii, Juris Ecclesiastic. univers., cap. 12, num. 208; Pirhing. loc. cit., n. 6; Reiffenstuel, loc. cit. num. 28, et alii. (19. Dicitur autem notanter *ex fundatione saltem ab antiquo facta*, quia in novis fundationibus non potest amplius poni talis lex seu conditio, eo quod concilium Tridentinum sess. 14, cap. 12, de Reformat. provide decreverit *ut in casu fundationis, hujusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori, reservetur*. Hinc sacra congregatio ejusdem concilii interpres consulta an in juribus patronatus quæ post Concilium acquiruntur reservari possit institutio alteri quam episcopo, respondit non posse in ecclesiis etiam exemptis, nisi rector illius ordinarius fungeretur jurisdictione. Sic refert Fagnan. lib. i, decretal. in cap. *Cum Ecclesia Vulturna*, 31, de electione num. 31.

(20. Quod possit ei competere talis facultas ex consuetudine, colligitur ex cap. *Dudum* 53, § *Sed cum in jure*, de electione; cap. *Dilect.* 10, de Offic. Archidiacon.; cap. *Cum venissent* 6, de Institution.; cap. *referente* 7, de præbend.; cap. *Ad hæc* 2, de excessib. Prælat. Et tenet gloss. in cap. *Super eo* 17, verb. *Archidiaconus*, de Officio delegati, et alia glossa in citat. cap. *referente*, verb. *Assignavit*; Fagnan. in cap. *Eam te* 4, de ætate et qualitate, num. 7; Abbas in cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiacon.; Seraphin dec. 306, num. 9; Reiffenstuel loc. c., num. 30; Barbosa cit. allegat. 72, num. 184, cum aliis ibi allegatis. (21. Quod possit eis competere talis facultas ex præscriptione legitime completa, colligitur ex cap. *Placuit*, 1, cap. de quarta 4, cap. *Adaures* 6, cap. *Auditis* 15, et cap. *Cum olim* 18, de Præscriptionibus. Et de præscriptione immemorabili tenet Barbosa cit. allegat. 72, num. 174, citans Mariam Antonium Variar. resol., l. 1, resolut. 46, n. 6, et Lambertinum l. ii, p. 2, qu. 1, princip. part. x. Imo Azorius part. ii, lib. vi, cap. 22, quæst. 3; Pirhing. loc. c. num. 6; Reiffenstuel loc. cit., num. 31, et alii, istud concedunt absolute de præscriptione, et non necessario requirunt immemorabilem, ut requirit Barbosa loc. cit., idque juxta generalia principia in materia præscriptionis tradi solita. Et sic tenet etiam Fagnanus in cit. c. *Auditis*, n. 6, ubi dicit quod prælati inferiori, si solus instituerit, spatio annorum quadraginta præscribit excluso episcopo; et idem sentire asserit Alexandrum de Nævo in cit. cap. *Auditis*, n. 25, et Innocentium in cap. *Cum olim*, de Restitut. spoliator.

(22. Prælati inferioribus, etiam regularibus, competit jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure subjectis, ut colligitur ex cap. in *Lateranensi* 31, de præbend., arguendo a sensu contrario desumpto ex se-

quentibus verbis, ibi. « Statuentes nihilominus, quatenus ad ipsos (religiosos) in ecclesiis quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem concilii statuta, episcopis instituendos presbyteros representent, ut illis de plebis cura respondeant: » concordat Clement. unica, de Excessibus Prælat.; § *Quidam præterea*, et cap. *Cum et plantare* 3, § *In Ecclesiis*, de Privil., ubi glossa, verb. *Pleno jure*, infert quod in ecclesiis pleno jure, id est in spiritualibus et temporalibus ad religiosos pertinentibus, nihil possit episcopus attentare in illos, et ita institutio et destitutio quoad temporalia et spiritualia ad ipsos pertinent: cap. *Visis litteris* 1, caus. 16, quæst. 2; et tenent Fagnan. in cap. *Cum venissent* 6, de Institutionibus num. 14; Barbosa d. allegat. 72, num. 184; Pirhing. loc. cit., num. 32, et alii.

(23. Laici, quicumque sint, nullo modo possunt proprie instituere clericum in aliquo beneficio, ut colligitur ex cap. *Præterea quia* 4, de Jure patronatus, ubi laici qui clericos instituere vel destituere præsumunt in ecclesiis etiam patronatus, jubentur excommunicari. Item ex cap. *Si quis deinceps* 12, et cap. *Quoniam* 13, caus. 16, quæst. 7, ubi clericus non solum pœnæ suspensionis, sed etiam excommunicationis subiacere decernitur, qui investituram ecclesiarum, contra statuta sanctorum Patrum, de manu imperatoris, vel regis, aut alterius laicæ personæ, suscipere præsumserit. Et ratio est quia potestas instituendi in beneficiis est spiritualis, cujus incapax est laicus: cap. *Decernimus* 2, de judiciis et cap. *Causam*, q. 6, de præscript. cum similibus.

(24. Institutio auctorizabilis, sive potestas conferendi curam animarum, de jure communi pertinet ad episcopum solum, private ad prælatos inferiores, nisi habeant jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum private ad episcopum, textu expresso in c. *Cum Satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ubi glossa fin. et DD. communiter, et concordat cap. *Nullus* 11, caus. 16, quæst. 7, ubi id expresse statuitur. (25. Dicitur autem notanter, *nisi habeant jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum private ad episcopum*; quia tales prælati inferiores sunt nullius diœcesis, et sunt ita constituti in proprio territorio, ut veniant nomine diœcesani, juxta glossam in Clement. 1, verb. *Diœcesanis*, de foro competent., et Abbatem ibi n. 25; Cardinal. in quarta q. num. 2; Imolam num. 38; Vitalin. n. 4. Unde quia omnimodam habent jurisdictionem in clerum et populum private ad episcopum, hoc ipso obtinent potestatem tradendi curam animarum, quam nemo alius præter Papam posset concedere: Fagnanus lib. i, decretal. in cap. *Eam te*, n. 4, de ætate et qualitate, et in cap. *Cum contingat*, num. 31 et 37, de foro competent., allegans sententiam sacre congregationis Concilii; Reiffenstuel loc. c. n. 37, et alii communiter. (26. Institutio auctorizabilis, seu potestas conferendi curam animarum non potest competere neque vi consuetudinis